

*ter secum invicem junguntur, & quam profecto Reformatorum
nemo tam jejonus est, qui sollicitet.*

§. II. De singulis succincte disquiremus. Et primo quidem si quis credat serio, Andabatarum in morem inter nostrates & Calvinianos fuisse ferme a binis jam seculis pugnatum, eum penitioris judicii lucernam accurate inspiciendo huic negotio vix admovisse crediderim. Adeo grave est, tot pro gloriae DEI & veritatis cœlestis tutela occupatos leviter ac contemtim haberi, quasi, magna etiam interposita diligentia, plane nihil, & omnia frustra egerint. Ita non obscure adversarii excusantur, nostrates pariter traducuntur, quasi blitei & stupidi fuissent in inquirenda & dignoscenda adversariorum mente. Vellemus vero, Allocutorem assertum suum idoneis rerum testimoniis probavisse, ut appareret, utrum credat, nostrates a Reformatis, an hos a nostris, aut vero neutrum ab altero fuisse minus intellectos. Haec tenus enim si quis perlustraverit, quae in tot Synodis, Colloquiis, Collationibus & Scriptis amoëbaeis, imo etiam Eristicis, utrinque inter viros, qui crediti sunt præstantissimi, institutis, actita & dicta fuerunt, haud dubie ipsi apparebit, ita rem fuisse ad liquidum perductam, ut, etiam si Reformati saepiuscule arbusta peterent, sub quibus latere possent, & aequivocationibus utearentur, postremo tamen, excussis omnibus, Status controversiae, in quo discreparent, apertissime affirmando & negando in lucem manifestam prodierit, & unum ab altero bene intellectum fuisse, deprehensum sit. Speciminis causa sistatur Colloquium Mompelgardense, quod saepius legi meretur, in quo post multas tergiversationes, & mentis vel explicationes, vel a parte Bezae tentatas occultationes, imo & vota hujus iterata : *Utinam nos invicem melius & rectius intelligeremus ! si qua ratione pia concordia inter nos constitui posset !* p. 214. tandem nihilominus animi sensus & dissensus fundamentalis, isque satis apertus, prodiit in lucem, quo constante JACOBVS ANDREAE Theodoro Bezae obla-